

DISPUTATIO IVRIDICA
DE
DONATIONE
INTER VIVOS,

GERMANIS:

Von Schenkung unter den Lebendigen.

PRAESIDE
DN. RVD. HENR. ZIEGLER,

I. V. D. P. P. O. ET COLLEG. SAX.
DECANO,

IN PERANTIQUA HIERANA CELEB.

DIE XX. FEBR. CIO IO CCXII.

DEFENDET

BARWARDVS VLDER. HOMEYER,

HILDES. LL. STVD. A. R.



EDITIO II.

IENAE,

PRODIIT EX OFFICINA HELLERIANA, 1743.

Coll. diss. A
240, 35

Diss. A. 240(35)

24.
~~XXIV. 78.~~

ADRIANUS ...
D. O. ...
...

...

...

...

Sächs.
Landes-
Bibl.

...

...



PROOEMIUM.



VCVNDISSIMA æque
ac maxime proficua
est donationum ma-
teria, quippe quæ
non solum virtutis
nomen præ se fert, dum quis gene-
roso animo liberalitatem multis salu-
tarem exercendo ab aliis sese distin-
guit, verum etiam per quam homi-
num in societate civili viventium af-
fectus atque inclinationes acqui-
runtur, alliciuntur, moventur. Ast
A 2 qualis

qualis qualis etiam sit, sæpius, quid?
 quod sæpissime ejusmodi donatio-
 num genera degenerant in dete-
 standam luxuriam, prodigalitem
 ac profusionem bonorum, per quam
 integræ familiæ ad incitas redigun-
 tur, evertuntur; Quam ob causam
 Imperatores moti donationibus ter-
 minos posuerunt certos, secundum
 quos illæ legitime fieri ac sine dis-
 pendio donatoris insigni procedere
 possunt; De quibus Donationibus
 maxime inter vivos ac juribus, in
 hisce observandis, præsentî hac dis-
 putatione, pluribus differere pla-
 cuit, quod, ut benevole accipiatur,
 enixe rogo.



Th. I.



THESES I.



Materiam donationis inter vivos aggressu-
 ri (ne morem Philosophorum negligamus) primo attendenda venit Etymologia. Donatio itaque dicitur à dono, quasi dono datum, vid. *L. 35. §. 1. ff. d. mort. caus. donat. & capion. i. e. doni datio*, quæ verba propriam donationis naturam exprimunt, dum hæc à parte donatarii stricto jure seu cum effectu antea exigi, ac ad hanc præstandam donator cogi nequeat; verba autem inter vivos distinctionem ponunt inter hanc & donationem mortis causa, quia illa vivente donatore citra ullam mortis cogitationem, hæc vero in casum mortis, vel secundum *§. 1. ff. d. donat. si quid humanitus ei contingit*, concipitur.

Th. II. Dicitur alias etiam vera & absoluta donatio *L. 35. §. 2. ff. d. mort. caus. donat.* ut & directa, simplex, mera; quia hæc absque omni causa vel mortis, vel remunerationis, vel absque

ullo alio respectu simpliciter ex mera affectione,
ex mera liberalitate donantis datur.

Th. III. Definitur ergo, quod sit actus,
quo alteri licitum quoddam, & quod in commer-
cium cadit, liberalitatis & munificentiae gratia,
nullo jure cogente conceditur *l. 82. ff. d. donat. vel*
secundum L. 82. d. R. 7. est mera liberalitas, quae
nullo jure cogente fit. *Per L. 17. C. d. fide Inst.* dici-
tur quidem contractus, sed hac, ut & aliis legibus
vocabulum contractus improprie & in sensu lati-
ori pro quavis conventionem accipitur; Hinc si cui
ob certam causam, vel ob certam rem, vel ob be-
ne merita, vel ob quodlibet aliud factum praesens,
praeteritum vel futurum aliquid donatur, propria
& genuina donatio non videtur, *L. 1. ff. d. don.* cum
haec donatio plerumque ob *αἰτίωσις* datur & remu-
neratoriae nomine venit.

Th. IV. Ex ante dictis ergo liquet, quod
haec donatio remuneratoria sit actus, quo quid ob
causam vel civilem, vel naturalem, sive ob bene
merita in alterum ita transfertur, ut irrevocabiliter
suum fiat, *L. 27. ff. de donat.* cum nempe haec relata
sit donatio, i. e. quae ob causam praecedentem ex-
ercetur, quemadmodum autem haec causa non
potest retractari, sic multo minus datum propter
hanc

hanc causam revocari potest, namque donatio fit nullo Jure cogente, i. e. nulla obligatione, vel naturali vel civili præcedente, si autem hæc præcesserit, multo magis illud datum degenerat in modum debiti, debita vero ordinarie non revocantur, exinde quoque sequitur, etsi quingentos solidos excedat, quod tamen Insinuationem non requirat, neque propter ingratitude revocari possit, *L. 34. §. 1. ff. de donat. vid. Dn. Carpzov. p. 2. C. 12. d. 15. 30. 31. &c.* In hoc itaque differt ab illa vera & absoluta in præcedenti Thesi definita donatione.

Th. V. Equidem non nescimus, donationem absque traditione Jure Romano fuisse pactum, pacta autem eo Jure non producebant obligationem, multo minus actionem; consulto dico, non obligationem, nam non latet, quod pacta illa, quæ nuda & simplicia vocare solebant, quosdam produxerint effectus, e. g. compensati-
onis, novationis, constituti &c. sed cum hi effectus potius ex necessitate, qui nimirum æquitatem & obligationem naturalem respiciebant, sint introducti, non possunt dici mere civiles; actionem non concedebant, quia ex minus deliberato animo provenire putabant; donationis tamen pactum, ut legitimum, vel ut nonnullis vocare magis arri-
det;

dēt, vestitum declaratum est, hinc etiam illo jure, licet traditio non facta fuerit, producebat actionem ex *L. 35. Cod. de donat.* ita ut necessitas donatori imponeretur, rem donatam tradendi; accedit, quod Germani materiam hancce pactorum, prout nunc ea disquiritur, nunquam receperint, cum hi Jure Romano tanquam ex recepto, non vero præcepto teneantur.

Th. VI. Ex quo Jure descendat donatio, quæritur? Communiter quidem ex Jure Civili eam provenire contendunt, idque propter varia donationum genera, quippe quæ pro ratione modi, circumstantiarum, quantitatis & qualitatis differunt; Nos sua natura & materialiter ex Jure naturæ vel gentium, formaliter vero, & quatenus certis legibus & limitibus circumscripta & determinata est, ex lege civili profluere asserimus.

Th. VII. Inde non immerito controversatur, an donatio sit modus transferendi dominium? Secundum communem Dd. Sententiam, quatenus ea cum traditione est conjuncta, omnino modum esse acquirendi rerum dominia, non negamus, maxime cum in hisce non transferatur ipso jure dominium, sed demum per traditionem donatoris, quatenus & hæc eo animo fit; Atta-
men

men donationes nonnullas esse, ubi ipso jure do-
minium rei donatæ absque ulla traditione in do-
natarium transfertur, non diffitemur, quod ma-
xime in donationibus Principum, item Ecclesiæ
factæ, obtinere cum Dn. Stryck. *Disp. de Concur-
su Expectativa gener. & special. §. 32.* statuimus.

Th. VIII. Causam itaque efficientem im-
pulsivam donationis veræ propriæ & absolutæ po-
nimus meram liberalitatis voluntatem ipsius do-
natoris, & affectionem illam singularem, quam
hic erga donatarium fovet, quæ affectio ex variis
causis v. g. conjunctionis, amicitia, vel quotidia-
næ conversationis, unionis animorum &c. oriri
potest, remuneratoriæ vero, benemerita *L. 9. ff.
pro socio*, factum aliquod præstitum, vel adhuc
præstandum, atque hæc iterum dicitur impropria
vel ratione causæ impulsivæ, qualis est remunera-
toria, quæ Jure Civili extraordinarie obligat per
L. 27. ff. de donat. vel ratione effectus, ut donatio
mortis causa, quæ in casu subsecutæ mortis conce-
ditur, & nuda pœnitentia revocatur, quas donati-
ones iterum triplices esse leges constituunt *L. 2. ff.
d. mort. caus. donat.* & legatis comparatur, inde
sequitur, quod dominium secuta morte, ipso jure
transferatur *L. 2. ff. d. Publ. in rem action.*

B

Th. IX.

Th. IX. Materialem esse putamus omnes res, quæ cadunt in commercium non solum humanum, verum tamen in specie donatarii, i. e. quæ in hujus patrimonio esse possunt; sic ergo Judæo mancipium Christianum inutiliter donatur, quia hic propter singularem legis prohibitionem illud in Patrimonio habere nequit; An vero omnia bona donari possint? altioris est indaginis, quod quidem affirmant, si nimirum donatio fiat sub reservato *Dn. Carpzov. s. resp. 67. Dd. in L. fin. C. de pact.* quo B. L. remittimus.

Th. X. Formam quod attinet, potest fieri vel scriptura vel sine scriptura *L. 25. L. 29. C. d. donat.* nam si modo vel per propriam confessionem, vel per testes, vel etiam per juramenti delationem (qui modus tamen proprie non est probatio, sed potius relevatio ab onere probandi) probari possit, non opus est scriptura, in defectu tamen testimonium melius est, si quis per scripturam, vel instrumentum quoddam donationem ipsam ad evitandas probationis molestias docere possit, si modo non quingentos solidos excedat, tunc enim insinuationem requirit; potest & fieri vel sub conditione, vel pure *L. 2. § seq. C. d. don. quæ sub modo.* modo præsens præsentem, vel etiam si alter absens sit,

fit, alteri donationem illam indicet, ut possit accep-
tare, quia donatio sine acceptatione nulla est, invi-
to enim non obtruditur beneficium, & non potest
liberalitas nolenti acquiri *L. 19. §. 2. ff. de donat. l.*
69. ff. de R. J.

Th. XI. Causa finalis est exercitium libe-
ralitatis, cum enim tantummodo ex affectu bene-
volo, qui exercetur per donationem vel translati-
onem rei donatæ, fiat, sequitur, quod finis sit, ut
liberalitas illa exerceatur, licet non negemus, si
modo aliqualis respectus facti alicujus præteriti vel
futuri accedat, quod tunc remuneratio vel bene-
meriti compensatio finem efficiat: Effectus est,
quatenus donatio cum traditione conjuncta, do-
minii translatio, quatenus vero per nudam pro-
missionem fit, quod obligationem vel jus ad rem,
ac traditionis necessitatem inducat §. 2. *J. d. don.*
eandem vim ac stipulatio tribuat *L. 35. §. ult. C.*
de donat.

Th. XII. Dictum fuit thesi nona, quod
omnes res, quæ cadunt in commercium, donari
possint, paucis nunc erit agendum de requisitis
donationis; requiritur autem (1) ut donator sit
dominus rei donatæ, *L. 12. C. b. t.* nemo enim plus
juris in alium transferre potest, quam ipse habet,
B 2 nisi

nisi forsitan jussu domini donet, licet tunc mandatararius proprie non donet, sed mandatum donationis tantummodo exequatur. (2) Ut habeat liberam administrandi & alienandi facultatem, hinc pupillus & prodigus, licet sint domini, tamen propter defectum liberæ administrationis & alienationis donare non possunt. (3) Si quingentos solidos excedit, quod insinuatione actis intervenientibus opus habeat, ratio videtur hæc, quia tunc donans facile patrimonium suum perdere, vel notabile detrimentum rei familiaris habere potest, ita ut amplius incipiat esse non solvendo, vel etiam ad incitas redigatur, in hisce nempe causis, ut & in magnis quantitatibus, cum res sit altioris indaginis, major observantia est adhibenda, *arg. L. fin. Cod. si cert. petat.* (4) Nonnulli addunt præsentiam duorum vel trium testium incluso Notario; cum vero testes potius ad probationem, quam ad ipsam formam donationis requirantur, minus adæquate hoc requisitum ponitur.

Th. XIII. Olim quidem donatio excedens 300. solidos insinuationem requirebat *L. 34. Cod. d. donat.* hodie vero usque ad 500. facta valida est, si vero excedit hanc præscriptam summam, non in totum nulla est, vel irrita redditur, sed tantum quatenus

tenus excedit, *d. l. 34. pr. Nov. 162. C. 1. §. ult. in tantum*, ut non valeat, etiamsi juramentum accesserit. *D. Carpzov. p. 2. C. 12. D. 14.* & si jam res donata tradita sit, excedens repeti potest, *per dict. Carpzov. def. 17. in fin. condictioe scil. sine causa l. 21. in f. ff. b. l.*

Th. XIV. Solidus autem quid sit inter Doctores non satis est expeditum, plerique 500. illos solidos pro tot Ducatis accipiunt, ut Sande *Lib. 5. tit. 1. d. 3. in f. Richt. p. 1. d. 26. n. 59.* ita ut etiam ratio habeatur pecuniæ, si valor sit mutatus, dispositio enim hæc intelligenda est secundum monetam imperialem, non vulgarem, prout ergo illa mutatur, crescit ac decrescit hæc summa, sic ergo 500. illi solidi, prout Dn. Stryk. *in not. ad Lauterb. vult*, efficerent 1333. Thalerorum summam.

Th. XV. Coram quo Judice insinuatio fieri debeat, quæritur? Nonnulli coram competente, nonnulli etiam coram incompetente judice posse fieri statuunt; quam sententiam posterio-rem nostram facimus per *L. 27. in fin. § 30. Cod. h. l.* idque ideo, quia donatio est actus voluntariæ jurisdictionis, qui etiam exerceri potest coram non competente judice, melius tamen sibi quis prospicit, si coram ordinario judice, præsentem a-

tuario, donatio ad acta referatur, quippe majorem auctoritatem pleniorumque fidem consequitur.

Th. XVI. Dantur tamen nonnullæ donationes in jure, quæ insinuationem minime desiderant, idque ex speciali legis dispositione ita provisum, partim propter dignitatem & respectum donatoris & donatarii, sic absque insinuatione Princeps recte donat, cum enim Princeps Legibus sit solutus *L. 31. ff. de Leg. §. ult. f. quib. mod. test. infirm.* indignum esset, si donationes ab ipso factæ secundum jura civilia insinuationem requirerent, accedit, quod Princeps non præsumatur ex luxuria vel prodigalitate, sed potius ex singulari gratia hoc facere; item Principi pariter absque hac solennitate utiliter donatur *L. 34. pr. Cod. b. t.* partim propter nonnullarum rerum, ob quas fiunt, favorem v. g. in redemptionem captivorum si quid donatum sit, *L. 36. pr. Cod. eod.* vel etiam ad restituendas ædes incendio vel ruina corruptas *dicta L. 36. §. 2.* prius propter favorem libertatis consequendæ, posterius vero exemplum propter interesse rei publicæ est constitutum, quippe interest rei publicæ, ne ruinis deformetur.

Th. XVII.

Th. XVII. Quid autem dicendum, si alter rem meam me sciente & volente donaverit, ex post facto vero me donationis hujus factæ poenituerit, an illam revocare, & rem à donatario repetere possim? Resp. Illam rem repeti non posse, sufficit, quod ab initio adfuerit consensus, quod autem semel placuit, amplius displicere non potest, & quod ab initio est voluntatis ex post facto est necessitatis, habetur enim ac si ipse donasset, nam quod quis per alium facit, dum ei mandat, ut faciat, per se fecisse putandum *L. 5. §. 3. ff. de administr. Tut.*

Th. XVIII. An filiusfamilias donare possit, quæritur? Distingvimus, in peculio pagano vel profectitio ordinarie non potest, cum non sit sui juris, sed in patria potestate constitutus, idque ipsi non concessum, ut dilapidet & perdat, sed ut administret, *L. 7. pr. ff. de donat. dico ordinarie*, quandoque enim & in hoc potest donare absque patris consensu expresso, utpote si filiusfamilias sit Senatoriæ dignitatis, vel justa ratione motus donet, *d. l. 7. §. 1. & seqq.* tunc enim leges præsumunt consensum intervenisse; in adventitio ordinario perinde non potest, ob usumfructum quem pater in hoc habet, quippe cum hic patri diminueretur;

in

in extraordinario vero vel irregulari libere donare potest, cum pleno jure spectet ad filium, item in castrensi vel quasi castrensi indistincte potest, *cit. L. §. fin. cum & testari*, quod majus est, non prohibeatur, quia in hoc habetur pro patrefamilias.

Th. XIX. Quidam ex speciali legis dispositione prohibentur donare certis personis, quales (1) sunt patres, qui filiis nihil donare possunt, *L. 25. Cod. de don. int. vir. & ux.* partim quia per fictionem juris pater & filius habentur pro una persona, & sic sibi ipsi quodammodo donare videntur, partim tamen filius nihil potest habere proprii, *L. 1. §. 1. pro donato.* nisi iterum propter insignia in patrem benemerita, quo casu subsistit, hæc tamen cum sint facti, à filio probanda veniunt; cessat quoque prohibitio, si morte patris vel ultima voluntate donatio sit confirmata *dicta L. 25. Cod. de don. int. vir. & uxor.* vel si filio familias post emancipationem res donata non fuerit ademta *L. 31. §. 2. ff. de donat.* vel etiam secundum jus Canonicum juramento sit confirmata *c. 2. de pact. in 6. & 28. X. de jurejur.* vel denique si pater donet ex causa castrensi *L. 1. Cod. de Castr. pec.* aut quasi castrensi *L. 4. C. de adv.*

Th. XX.

Th. XX. Non valent (2) donationes inter virum & uxorem, ne vel mutuo amore se invicem profusa facilitate defraudent patrimonio *L. A. ff. de don. inter vir. & ux.* vel amor conjugalis donis debeat obliniri & conservari, vel si alter conjugum nihil donet, ansa rixandi oriatur; Conjugum autem vocabulum hic latius accipi constat *ex L. 32. §. 16. h. t.* cum donatio inter consoceros, socerum & generum, socerum ac nurum, vel illas personas, in quorum potestate conjuges sunt, subsistere non potest; quæ tamen prohibitio non obtinet, quando donatio est modica v. g. strenæ nomine, vel in festo Nativitatis Christi, mutua & reciproca, ubi neuter partium singulare damnum sentit, vel etiam ad dignitatem Doctoralem vel aliam consequendam, denique si juramento sit confirmata.

Th. XXI. Diximus antea, quod pater ob specialem legis prohibitionem non possit filio aliquid donare, hinc jure merito quæritur, si sump- tus suppeditaverit ad studia sua promovenda, an post mortem sint conferendi? ratio dubitandi duplex est, primo quia donatio a patre filio facta non valet, deinde quia non constat de animo donandi, cum pater nihil expresserit; ad primam respon-
C demus,

demus, donationes hasce esse de quasi castrensi re
L. 4. Cod. de fam. hercisc. ideoque prohibitio hanc
 non tangit, alteram quod attinet rationem, ex stu-
 diis filius non fit locupletior, ex quibus autem cau-
 sis quis non fit locupletior, hoc non tenetur con-
 ferre, *Conf. Dn. Stryk. in not. ad Lauterb.* deinde
 studia semper habent causam favorabilem, hinc
 etiam sumptus in hæce facti præsumptive ex pie-
 tate potius & affectu naturali videntur donati,
 collationi ergo non sunt obnoxii *L. 50. ff. famil.*
hercisc. huc spectat etiam quicquid pater filio de-
 dit ad obtinendas dignitates; item si pater mutu-
 am sumsit pecuniam, ut filio suppeditet sumptus
 ad studia, hoc enim mutuum fit debitum heredi-
 tarium, & si mater ex communi hereditate submi-
 nistravit aliquid, neque hoc secundum commu-
 nem Doctorum sententiam est conferendum, item
 si sumptus ad peregrinandum filio dati sunt, quod
 tamen non indistincte asserendum putamus, sed
 potius ex conditione, qualitate, massa hereditatis
 vel totius patrimonii, aliisque circumstantiis diju-
 dicandum venit.

Th. XXII. Objectum donationis sunt om-
 nes res, & omnia bona, etiam futura, de quibus
 dictum fuit th. 9. videtur quidem quis sibi auferre
 testa-

testamentifactionem, jam autem hæc est juris publici, ea autem quæ talia sunt, pactis privatorum mutari non possunt. Ast (1) hæc successio, quæ ex hac testamentifactione oritur, non consistit solum in juribus activis acquirendis, quippe quæ per hanc donationem omnium bonorum auferuntur, sed etiam in passivis, i. e. oneribus ferendis, in quibus heres pariter potest institui. (2) Testamentifactio præcise non est necessaria, utpote quæ eventualiter demum admittitur, si testator proximum agnatum vel cognatum non vult habere heredem, atque ita tantum est juris permissivi. (3) Etiam per arrogationem per indirectum tollitur testamentifactio, exinde tamen illa non statim fit vitiosa; si tamen omnia bona sunt donata, semper ea intelliguntur salva, quæ ad individualem donatoris necessitatem spectant, gaudet enim hic beneficio competentia.

Th. XXIII. Si autem bona majora & potentiora tantum sunt donata, ita, ut liberi vel parentes legitimam non habeant salvam, & omnium DD. sententia in praxi habent querelam inofficiosæ donationis; sed cum viventis nulla sit hereditas, ideoque nulla legitima constitui possit, quia quantitas patrimonii tempore mortis est incerta; dein-

de cum nondum jus quoddam, dum pater est in
vivis, fuerit translatum in liberos, vel vice versa,
contrariam sententiam defendemus.

Th. XXIV. Haecenus de modis constitu-
endi donationes dixisse sufficiat, nunc ad modos
dissolvendi progredimur; Propria quidem do-
natio eo animo fit, ut donator nullo modo ad se
rem donatam reverti velit, *L. 1. prin. ff. de donat.*
quod tamen in comparationem impropriarum
donationum, v. g. mortis causa, quae nuda volun-
tate revocari potest, accipi volumus. Revocatur
autem illa (1) ob ingratitudinem lege expressam
L. ult. Cod. de revoc. donat. quarum species quin-
que ordinarie recensentur, secundum tamen com-
munem Doctorum sententiam aequae graves vel
graviores admittuntur, quam vero, cum expresse
in dicta *L. ult.* dicitur: *Ex his enim tantummodo
causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis co-
gnitionaliter approbatae, etiam donationes in eos fa-
ctas everti concedimus, non amplectimur;* Haec
autem revocatio non transfertur ad heredes dona-
toris, sed huic soli competit, exinde sequitur, si
miserit hanc injuriam vel ingratitudinem à do-
natario donanti illatam, hujus heredibus non dari
actionem ad revocandam donationem, *cit. L. ult.*

Th. XXV.

Th. XXV. (2) Propter supervenientiam liberorum, *L. si unquam 8. Cod. de revoc. donat.* quæ causa non solum in liberto & Patrono, de quibus allegata lex proprie loquitur, sed generaliter obtinere statuitur, quia pater de liberis contra pietatis rationem non cogitasse præsumitur, nisi expresse huic *L. 8.* renunciaverit (quam renunciationem à patre in præjudicium liberorum fieri posse statuimus cum *Suth. diff. 6. apbor. 38. Et ibi cit. Tirraquell.*) donatio tamen enormis, non modica esse debet, i. e. ut singulare damnum per hanc liberis inferatur, quænam autem quantitas intelligatur? hoc arbitrio judicis committitur, qui ex circumstantiarum qualitatibus, imprimis conditionis personæ donatoris, item ex facultatibus, merito dijudicabit.

Th. XXVI. Dantur & aliæ donationum species, v. g. sub conditione, quæ non nisi post adimpletam conditionem effectum sortiuntur; sub modo, ut aliquid faciat; remuneratoria, de qua superius actum; Dotalitium vulgo *Leibgedinge* quod communiter constituitur à nobilibus, per pacta etiam à privatis, in compensationem dotis, idque ut plurimum consistit in usuris sortis duplicatæ *Dn. Carpzov. p. 2. C. 42. D. 2. n. 7. Et 8.* Spon-

C 3 salicia

salitia largitas, quæ fit à sponso vel patre propter futurum, quod speramus, matrimonium *L. 15. Cod. de donat. ante vel propter nupt.* Morgengaba, i. e. donum, quod sponsus nobilis altero nuptiarum die in præmium amissæ virginitatis & vice versa vidua juveni donare solet *Conf. Habn. ad VVe- senb. p. 2.* Cum vero impropriarum donationum naturam induant, de iis prolixius agere supersede- mus, maxime cum temporis angustia plura verba facere vetet.

T A N T V M.

Damit nichts leer bleibe, hat man, so viel der Platz uergönnen will, (Tit.) denen Herren Liebhabern mebrere Dispp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Daß solche, wie gegenwärtige, ebenmässig zu Jena in der Hellerischen Buchdruckerey, (mit einem gedruckten Catalogo, der noch viel 1000. Stücke, von allerband in alle Facultäten einschlagende Dispp. in sich fasset,) um billigen Preiß zu haben sind, als:

Gleichmanns Schrift, durch welche er unter andern auch die wichtigen Fundamenta, so das Hoch-Fürstliche Haus Sachsen Ernestinischer Linie, auf die Jülich-Clev- und Bergische Länder, hat, Extracts-weise anzeiget.

Ejusdem Erneueretes 700jähriges Gedächtnis des vor 700. Jahren, nemlich 1039. in Thüringen sich fest ge- setzten Graf Ludovici Barbati, als eines Stamm-Vaters der Landgrafen in Thüringen. Ejusd,

Ejusdem Historische Betrachtung über eine Münze des Thuringischen Königs Balderichs oder Walderichs. Geldria & Zütphanium Regiæ Majestati Boruffiæ, tanquam Duci Cliviæ & Comiti Marcano, &c. stylo privato vindicantur.

Hertzogii de prudentia vera politica.

Hertelii de Johannis Constantis in Augustanam Confessionem meritis singularibus.

Hassenii perfectum consilarii regii exemplum in Josepho summo Pharaonis administro proponens.

Ejusdem differt. qua rationes exponuntur cur Franciscus I. Galliarum Rex ob jusjurandum Carolo V. Imperatori haud servatum perjurus censeri debeat? In dieser Disp. liegt aber auch: disp. qua rationes confutantur cur Franciscus I. Galliarum Rex &c. &c.

Ejusdem de conditione Principis, qui imperio se abdicavit.

Ejusdem diff. qua politicam præcipuis, qui ad inaugurandos Reges adhibentur ritibus comprehensam propon.

Hallwachsi historia Caroli M. Franciæ Regis, variis observationibus illustrata.

Ejusdem satura positionum historicarum Imperatoris Lotharii I. res & præcipua controversiæ de Ioanna Papissa in utramque partem complexarum.

Ejusdem rerum Rudolphi I. Imperatoris partem primam complexa.

Ejusdem pactorum, quibus vis metusve ansam præbuit sanctitatem ac firmitatem adserens.

Haagenii de Saxo-Vinariensi vigilantia ordine. c. fig.

Holtzschuheri ab Aschbach de comitiis 1356. Norimb. celebratis, in quibus Caroli IV. Imp. aurea bulla fuit sancita.

cita.

cita. Accessit index diplomatum tempore istorum comitiorum Norimbergæ promulgatorum, itemque recensio variorum aureæ bullæ exemplarium MSS. & typis impressorum. cum fig.

Hechtii rei heraldicæ inter Germanos speciatim Saxonas auspicia exquirens, c. notis J. Ehrenfr. Zschackwitzii.

Hoffmanni fœdera, quæ imperatores Rom. cum Francis ante tempora Chlodovei fecerunt.

Ejusdem acta & fœdera inter imperatores Rom. & Francorum reges & primæ stirpis.

Ejusdem de Decanis & Decanissis.

Ejusdem ad concordatum Henrici V. & Callisti II. de investituris episcoporum & abbatum.

Ejusdem stemma Babenburgico-Austriacum emendatum atque illustratum sistens.

Jacobi Stamm-Tabelle durch welche angezeigt wird, wie die heutigen Churfürsten von Brandenburg aus dem Burggr. Zollern-Nürnbergischen Stamm entsprossen. fol.

Introductio brevis in historiam rerum Germanicar. literariam, ubi maxime triumviri reficiendis rebus Germanorum, Conring, Sagittarius, Meimbom. eorumque de genuinis Historiæ Germanicæ fontibus dissertationes & Judicia recensentur, cum analectis & accessionibus.

Innocentii X. Röm. Pabstis Declaratio, worinnen er den A. 1648. in Teutschland geschlossenen Frieden, als welcher zum Präjudiz des Römischen Glaubens gereichte, vermeintlich zu annulliren gedencket.

Jani de Bojaria Francis subjecta.

SOLI DEO GLORIA.

Coll. diss. A. 240, misc. 35